

Neues Archiv

der

Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde

zur

Beförderung einer Gesamtausgabe der Quellenschriften
deutscher Geschichten des **Mittelalters**.



Vierter Band.

Mit einer photolithographischen Tafel.



Hannover.

Hahn'sche Buchhandlung.

1879.

Papstbriefe.

Von Prof. **Thaner** in Innsbruck.

I.

Der Codex 2777 C 1 der Biblioteca nazionale zu Florenz enthält ein Schreiben des Papstes Stephan X. vor seiner Reise nach Tuscien im Jahre 1058, das die Wahl eines neuen Bischofs von Fiesole betrifft.

Stephanus episcopus servus servorum Dei clero populoque Fesolano salutem et apostolicam benedictionem ('exceptis qui contra nostra canonica jussa restiterint' — später zugesetzt). Laudamus studium et obedientiam vestram quae per vestros nuntios recognovimus. Et quia per eos tuitionem et auxilium sanctae Romanae ecclesiae, ut justum est, expetistis, utrumque vobis paterne impendimus. Nam et ecclesiam vestram, licet nobis sit a primordio sui nostrique pontificatus commissa, in nostra protectione secundum votum et petitionem suscepimus et de ejus justa ordinatione vobiscum sentiemus. Quia vero domino auxiliante quam citissime ad vos venturi sumus, mandamus atque praecipimus vobis, ut bona ecclesiae quae supersunt custodiantur, quae male dispersita sunt recolligantur, nullum vobis pontificem antequam ad vos veniamus eligatis, neque ab aliquo electum suscipiatis. Nos enim volente Deo vobiscum providebimus vobis, ut ultra tanta caecitate non teneamini. Quod si contigerit nos venire non posse, quod minime credimus, idoneos vobis nuntios dirigemus, qui vice nostra quod vobis expedit vobiscum providebunt. Et quia bonus est vobis praepositus, ut audivimus et credimus, volumus ut de rebus interioribus studium habeat; si quid vero de exterioribus bene dixerit, audiatur.

II.

In demselben Codex ist eine urkundliche Aufzeichnung über drei Consecrationen eingetragen, deren erste von dem zum Papste (Nicolaus II.) gewählten Bischof Gerard von Florenz, die beiden anderen von den römischen Bischöfen

Kardinal Humbert und Petrus von Tusculum vorgenommen wurden.

Bei den zwei Kirchenconsecrationen wird die betreffende Kirche wie sonst eine physische Person, im Falle, dass sie Rechtsverletzungen begehe, mit Excommunication und Interdict bedroht. Auch dieses Stück gehört nach Fiesole.

Anno ab incarnatione Domini millesimo quinquagesimo VIII. dominus G. Florentinae ecclesiae episcopus in sede apostolica electus papa (a) filia Ugoni marchionis monasterii sancti Hylarii monacha et nomine Iulitta expetitus, consentientibus et assensum praebentibus Fesulanae ecclesiae clericis videlicet praeposito et yconomus (l. yconomo), consecravit abbatisam in eodem monasterio, hoc statuens firmiter in praesentia domni Bonifatii sanctae ecclesiae Romanae cardinalis, Albanensis episcopi, ne aliquando aliquis Florentinus episcopus pro praedicta consecratione praefatum monasterium ecclesiae suae vindicare audeat; michi etiam, Johanni infelici monacho, ut hoc litteris notarem praecepit.

Notum sit omnibus fidelibus sanctae ecclesiae Fesulanae, quod nos Romani episcopi, scil. de sancta Rofina et de ecclesia Tusculana, consentientibus Fesulanis canonicis consecravimus ecclesiam in monte Muro, eo vero ordine, ut si per eam ecclesiam aut custodes ejus ecclesia Faesulana passura erit aut aliquam molestiam sustinuerit in decimis, in primitiis aut in mortuorum bonis aut vel in aliis bonis illi debitis, vel membra ejus, licentiam damus Fesulano episcopo illam (sic) excommunicare et omne divinum officium illi interdicere, si post ternam petitionem emendatum praelibato episcopo non fuerit.

Cognitum sit omnibus fidelibus sanctae Faesulanae ecclesiae, quoniam nos Romani episcopi, scilicet de sancta Rofina et de ecclesia Tusculana, consentientibus Faesulanis canonicis consecravimus ecclesiam in culto bono, eo vero ordine, ut si per eam ecclesiam aut custodes ejus ecclesia Faesulana passura erit in primitiis, decimis, aut in mortuorum bonis, aut ea aut membra ejus aut in aliquibus bonis illi debitis, licentiam Faesulano episcopo damus illam excommunicare et omne divinum officium interdicere et quicquid illi placuerit facere, si post ternam petitionem emendatum praelibato episcopo non fuerit.

Ego Gerardus episcopus ad apostolicam sedem electus consensi et subscripsi.

Ego Humbertus dictus cardinalis episcopus consensi et subscripsi.

Ego Petrus episcopus consensi et subscripsi.

III.

Der Codex Barberinus XI. 187 zu Rom enthält auf f. 58'

von einer Hand des 12. Jahrhunderts nachstehendes auf die Vertreibung des Bischofs Anselm von Lucca i. J. 1080 bezügliches Schreiben des Papstes Gregor VII.

Gregorius episcopus servus servorum Dei P. abbati Ficeclensi et R. praeposito Campomaldi salutem et apostolicam benedictionem. Petivit religio vestra quatenus Ugicionem Bulgarelli filium de reatu suo non resipiscentem neque culpam suam confitentem sic absolvamus. Vos autem satis novistis, quia carum ipsum habere usque ad hoc grave facinus suum soliti fuimus, et certe ultra ceteros sui ordinis principes Tusciae antehac eum dileximus, eo quod ipse more patris sui bonos defendere et religionem in potestate sua plantare prae ceteris studuit. Unde si quomodo rationabiliter postulationi vestrae possemus annuere, profecto tam propter praedictam bonitatem suam et preces uxoris suae, tam propter petitiones vestras eum libenter absolveremus. Verum neque ratio aut consuetudo sanctae ecclesiae hoc habet neque sanctorum patrum nos ad hoc inducit exemplum, ut juste et canonice excommunicatus culpam suam non agnoscens nec ex corde veniam petens mereatur absolvi; nisi enim quis ex intimo corde poenitens reatum suum confiteatur, inutilis est absolutio nec dicenda nisi deceptio. Quod autem ipse comes ad malitiae suae defensionem se injuste et ob alicujus gratiam dicit excommunicatum, perpendat et ex sanctorum patrum sententiis diligenter inquirat, quid de conspiratoribus ipsi statuerint, et cum se in sacrilega conspiratione Lucensium fuisse meminerit, desinat ad augmentum mali flagitium suum maximeque defendere. Adhuc enim quod non minus est grave, quia episcopum Lucensem legaliter et canonice ordinatum de ecclesia sua expelli consensit vel permisit, merito in se anathematis gladium provocavit. Enimvero nollemus nos ullam vel minimam personam pro qua Christus sanguinem suum fudit, non dictante justitia excommunicare, si sciremus ob id oportere nos aut exilium subire aut usque ad sanguinis effusionem pervenire. Per maxime (permaxime?) autem, aut (ut) praefatus comes ad poenitentiam sicut christianum oportet de tanto facinore converteretur, optaremus profecto grande incommodum vel infirmitatem personae nostrae accidere. Proinde sanctitatem vestram invitamus atque rogamus, ut specialiter pro eo ad Dominum preces effundere cotidie memineritis, quatinus divina pietas cor et mentem illius visitet, compungat et ad poenitentiam convertat, ut de culpis suis resipiscens gemens et indulgentiam poscens in reliquum per bonorum operum exercitia in membris sanctae ecclesiae digne possit connumerari.

IV.

Der Codex Nr. 522 von Montecassino saec. XII. enthält

ausser Canones auf p. 1 eine Urkunde des Abtes Richerius (1038—1055), auf p. 4 und 5 die zwei Schreiben des Bischofs Bruno von Segni an den Kardinalbischof Peter von Porto und an Papst Paschal II. Es sind dies zwei für die Geschichte und Auffassung des Investiturstreites wichtige Documente, die denn auch neuestens von W. Schum Die Politik Papst Paschals II. gegen Kaiser Heinrich V. S. 21 und 23 mit Recht betont sind. Ich gebe daher die Abweichungen unseres Codex von dem Drucke bei Baronius, Annales. eccl. zum Jahre 1111 n. 31 und 30. Im Drucke fehlen Nr. 31 nach 'haeresim nominavit' die Worte: et simul cum suis auctoribus damnavit et excommunicavit. In der Notiz über das Schreiben selbst steht statt 'prehensione' wie der Druck hat, proditione. Endlich hat im Schlusssatze: 'quis dubitat non esse catholicos' der Schreiber das non weggelassen. Im Schreiben an Papst Paschal (Nr. 30) hat der Codex a pl. ref. audiui (audio Baron.); Illi enim soli (fehlt Bar.); catholicae ecclesiae (fehlt Bar.) fidei; pacatam (plac. Bar.), cum (in Bar.) magna laet. etc. Auf pag. 196, 232 und 235 stehen dann vier Schreiben des Papstes Calixt II, die sich sämmtlich auf einen Besitzstreit des Klosters Montecassino beziehen. Der Hauptinhalt derselben ist aus dem Chronicon Casinense des Petrus Diaconus IV, 70 (Mon. Germ. SS. VII, p. 797) bekannt; es ist aber doch ausserdem manches bemerkenswerthe darin enthalten. So ersieht man aus Nr. 1, dass der Papst der Abtei Montecassino noch vor Entscheidung der Rechtsfrage den entzogenen Besitz restituirt wissen wollte. Denn der spoliirte Theil könne 'juxta legum instituta et sanctorum canonum sanctiones' nicht zur Erhebung der Klage gezwungen werden. Aus dem Berichte des Petrus Diaconus erfahren wir, dass die Spoliatoren Aebtissin Alpherada und Graf Rainulf sich schliesslich den Mandaten und Censuren des Papstes gefügt haben. Allein der letztere, als der eigentliche Urheber des Streites, gab die Kirche S. Maria de Cingla, um die es sich handelte, doch nicht eher heraus, als bis der urkundliche Nachweis für das Recht Montecassinis geführt worden war. Ich gebe nun die Schreiben in der Reihenfolge, wie sie in der Chronik des Petrus Diaconus stehen; im Codex geht Nr. 2 auf p. 196 den anderen voraus. Die drei ersten sind in Jaffé's Reg. pont. aufgenommen.

1. Jaffé 5073^a.

(C)alixtus episcopus servus servorum Dei, dilectae in Christo filiae A. abbatissae Capuani monasterii sanctae M. salutem et apostolicam benedictionem. Pro controversia quae de ecclesia sanctae M. de Cingla inter te et Casinenses fratres longo tempore agitur, nostras ad te frequenter litteras misimus et tres tibi jam terminos constituimus, sed neque ad nos

ipsa venisti neque juxta praeceptum nostrum sufficientes pro te ad decisionem causae nuntios direxisti. In quo profecto non justitiam expectare, sed dissimulationibus quibusdam et occasionibus tempus infinitum (videbaris) velle protrahere. Casinenses autem fratres cum in omnibus terminis parati ante nostram praesentiam convenissent, demum in apostolorum octavis uti utrique parti mandatum fuerat convenerunt, suam instanter justitiam postulantes. Unde nobis et fratribus nostris rationabile visum est, ut deinceps dilationis vel absentiae tuae occasionibus Casinenses fratres non debeant manere possessionibus Cinglensis ecclesiae spoliati. Non enim qui possessa re spoliatus est, juxta legum instituta et sanctorum canonum sanctiones ad juris cogitur actionem accedere. Ex fratrum itaque nostrorum judicio dilectioni tuae praecipiendo mandamus, ut infra viginti dies postquam litteras praesentes acceperis, Casinenses fratres de praedicta Cinglensi ecclesia salva monasterii tui justitia in integrum reinvestias. Interim eidem ecclesiae res quas spoliationis tempori habuit, a te vel a tuis hominibus minime auferatur (l. auferantur).

2. Jaffé 5078.

(C)alixtus episcopus servus servorum Dei A. abbatissae monasterii sanctae M. salutem et apostolicam benedictionem. De negotio Cinglensis ecclesiae tot et tanta jam tibi scripsimus, ut si esse obediens voluisses, nequaquam plura scribere deberet. Dum nos paterna te benignitate ac mansuetudine toleramus, tu nostram in derisu patientiam habens, nichil eorum quae tibi praecipimus satagis adimplere. Sicut enim comperimus, non solum Cinglensem ecclesiam Casinensibus fratribus juxta mandatum nostrum restituere noluisti, verum etiam ad nostram injuriam et contemptum libros et res alias eidem ecclesiae asportasti. Praesentes igitur ad te litteras dirigentes apostolica tibi auctoritate praecipimus, ut nichil deinceps de Cinglensis ecclesiae rebus auferas, sed omni occasione vel dissimulatione postposita, ecclesiae ipsi quae per te ablata sunt reddas, eandemque ecclesiam cum omnibus rebus suis fratribus Casinensis monasterii beati B. restituas. Si autem nunc quoque contemptrix existens mandatum nostrum hoc infra XX^{ti} post harum litterarum acceptionem dies minime adimpleveris, nos extunc in Cinglensi ecclesia divina officia interdiciamus. Porro tibi omnem monasterii praelationem potestate auctoritatis apostolicae prohibemus, quoadusque prae-phatam restitutionem cum integritate adimpleas et nobis de nostro contemptu plenarie satisfacias.

3. Jaffé 5094.

(C)alixtus episcopus servus servorum Dei, karissimo filio et fidei nostro R. comiti salutem et apostolicam benedictionem.

Querimoniam fratrum Casinensium super ecclesia de Cingla saepius audientes, monasterii sanctae M. abbatissam iterum atque iterum nostris litteris commonuimus et multos ei terminos constituimus, ut ad nostram praesentiam vel per semet ipsam responsura veniret vel sufficientes ad negotii tractationem pro se muntios destinaret. Ceterum ipsa neque unum neque alterum usque adhuc facere voluit. Nos quia personam tuam praecipuae dilectionis affectione complectimur, et ne Casinensium fratrum amore beatae M. gravare monasterium videremur, ei(us)dem abbatissae contemptum diu et diu jam toleravimus. Porro consilium fratrum nostrorum non est, ut hujusmodi occasionibus Casinense monasterium rebus possessis maneat diutius spoliatum. Propterea nos ex ipsorum judicio tuae nobilitati mandamus atque praecipimus, ut infra XX^{ti} dies postquam litteras praesentes acceperis, Casinenses fratres de Cinglensi ecclesia facias salva monasterii beatae M. justitia integre revestiri neque interim ei(us)dem ecclesiae bona diripi a quibilibet vel auferri permittas. Quodsi et tu quoque mandati nostri contemptor extiteris qui spoliationis hujus causa et principium extitisti, nos ecclesiasticae vigorem justitiae pro te dimittere non valentes in personam et in totam terram tuam excommunicationis sententiam auxiliante Domino proferemus.

4.

(C)alixtus episcopus servus servorum Dei, comiti R. nobili et potenti viro. Quia beati Petri et noster fidelis es, nos vera te dilectione dileximus, et inter alios strenuos et illustres viros persona(m) tua(m) praecipuae affectionis brachiis amplexati sumus. Id ipsum et deinceps, nisi in te remaneat, facere praeoptamus. Propter quod usque adhuc agere nichil voluimus, in quo gravari a sede apostolica videreris. Ceterum dilectus filius noster G. Casinensis abbas et fratres ejus, pro quibus tibi nuper litteras misimus, super Cinglensis ecclesiae querimonia nostras aures instanter pulsare non desinunt. Nos itaque tot clamorum multitudinem ferre omnimodis non valentes, per praesentes litteras iterum tibi praecipiendo mandamus, ut omni penitus occasione vel dilatione postposita eundem abbatem et fratres ejus de Cinglensi ecclesia sanctae M. ac possessionibus ejus facias revestiri. Quod nisi feceris, nos et nunc divina officia et omnium tibi ecclesiarum introitum interdicimus et a termino in aliis ad te a nobis missis litteris constituto, completis scilicet viginti diebus illis quos scripsimus, personam tuam excommunicamus donec praedictum filium nostrum Casinensem abbatem et fratres ejus de eadem ecclesia Cinglensi et bonis illius facias integre ac plenarie, prout a nobis mandatum est, revestiri.